

[21]. *De caricanda naue que fuerit a peregrinis nauilizada.*

Dicimus quod si aliqua nauis tota fuerit nauilizada peregrinis in Ueneciis uel foris Uenecias, licitum sit patrino eam caricare secundum quod concordabitur cum peregrinis.

St. Zen, LXII.

[22]. *De nauibus caricandis que per nostrum Culfum properauerint.*

Affirmamus quod omnes naues que caricabunt de uictualibus siue de sale, eentes uel uenientes per Culfum nostrum, caricari debeant secundum quod concordabuntur; et in uelis, sarcio et ancoris, atque marinariis et omni corredo nauis, debeant ornari et guarniri secundum quod concordabuntur; excepto quod uolumus ut marinarii sint armati ut suprascriptum est.

St. Zen, LXIII.

[23]. *Qualiter naues que uadunt extra Culfum debent guarniri.*

Mandamus quod naues que caricabunt de uictualibus et uadunt extra Culfum uarniri debeant sicut alie que exeunt extra Culfum; tamen potestatem habeant caricandi duobus pedibus et medio et non plus, secundum quod concordabuntur. In uelis, sarcio, ancoris debeant ornari secundum quod concordabutur. Et hoc intelligatur usque dum habuerit caricum de uictualibus. Similiter dicimus de illis nauibus que uadunt sine mercatoribus.

St. Zen, LXV.

[24]. *De naue que caricabitur de ualanea.*

Precipimus quod nauis que caricabitur de ualanea, in qua non erunt mercatores, debeat caricari duos pe-